




Inde per immensum croceo velatus amictu  
aethera digreditur Ciconumque Hymenaeus ad oras  
3 tendit et Orpheia nequiquam voce vocatur.




Adfuit ille quidem, sed nec sollemnia verba  
nec laetos vultus nec felix attulit omen.

6 Fax quoque, quam tenuit, lacrimoso stridula fumo  
usque fuit nullosque invenit motibus ignes.



Exitus auspicio gravior: nam nupta per herbas  
9 dum nova naiadum turba comitata vagatur,  
occidit in talum serpentis dente recepto.



12 Quam satis ad superas postquam Rhodopeius auras deflevit vates, ne non temptaret et umbras, ad Styga Taenaria est ausus descendere porta perque leves populos simulacraque functa sepulcro



... SINE ULLO TIMORE ANTE PLUTONEM PROSERPINAMQUE LYRĀ CANERE INCIPIT.

15 Persephonen adiit inamoenaque regna tenentem umbrarum dominum; pulsisque ad carmina nervis sic ait: „O positi sub terra numina mundi,  
18 in quem reccidimus, quicquid mortale creamur: si licet et falsi positus ambagibus oris vera loqui sinitis, ...



... non huc, ut opaca viderem  
 21 Tartara, descendi, nec uti villosa colubris  
 terna Medusaei vincirem guttura monstri;

... QUAE, EHEU!, DIE  
 NUPTIARUM MORSU  
 SERPENTIS MIHI  
 ABREPTA HIC VERSATUR!  
 HOC PATI TEMPTABAM, SED  
 PATI NON POTUI!  
 ... UT CONIUGEM  
 MEAM REDUCEREM, ...  
 24 causa viae est coniunx, in quam calcata venenum,  
 vipera diffudit crescentesque abstulit annos.  
 Posse pati volui nec me temptasse negabo:



AMOR ME VICIT UT  
 OMNIA IN TERRA. ♪♪  
 27 vicit Amor. Supera deus hic bene notus in ora est;  
 an sit et hic, dubito: sed et hic tamen auguror esse,  
 famaue si veteris non est mentita rapinae,  
 vos quoque iunxit Amor. Per ego haec loca plena timoris,  
 30 per chaos hoc ingens vastique silentia regni,



ORO VOS PER HOC  
 REGNUM PLENUM  
 TIMORIS ET SILENTII:  
 REDDITE MIHI UXOREM.  
 NOS OMNES HUC  
 REVENIEMUS! ♪♪  
 33 Eurydice, oro, properata retexite fata!  
 Omnia debentur vobis, paulumque morati  
 serius aut citius sedem properamus ad unam.  
 Tendimus huc omnes, haec est domus ultima, vosque  
 humani generis longissima regna tenetis.



HAEC QUOQUE  
 AETATE MATURA  
 REDIBIT. SI  
 MIHI VENIAM  
 NEGATIS, ... ♪♪  
 36 Haec quoque, cum iustos matura peregerit annos,  
 iuris erit vestri: pro munere poscimus usum;  
 quodsi fata negant veniam pro coniuge, certum est



OMNES ANIMAE  
 AD HAEC ORPHEI VERBA  
 SONOSQUE TACENTES  
 FLEBANT.  
 39 nolle redire mihi: leto gaudete duorum!"  
 Talia dicentem nervosque ad verba moventem  
 exsanguis flebant animae;



... AQUILA PROMETHEI  
IECUR CARPERE  
DESUIT, ...

TANTALUS  
MISERICORDIÄ  
COMMOTUS ET  
FRUCTUS ET AQUAM  
NEGLEXIT, ...

... ORBIS  
IXIONIS SE  
NONIAM  
CONVERTIT, ...

... BELIDES  
URNAS  
DEPOSUERUNT,  
...

... SISYPHUS  
SAXUM SUUM IN  
SUMMUM MONTEM  
VOLVERE OBLITUS  
EST, ...

42 nec Tantalus undam  
captavit refugam, stupuitque Ixionis orbis,

nec carpsere iecur volucres, urnisque vacarunt  
Belides, inque tuo sedisti, Sisyphes, saxo.



TUM PRIMUM FURIAE ORPHEI  
CARMINE VICTAE LACRIMAUERUNT.


VENI, EURYDICE,  
ET SEQUERE MARITUM  
TUUM AD  
SUPEROS!

IAM VENIO,  
VITA MEA!

ET EURYDICE  
LAETISSIMO  
ANIMO IMPERIUM  
PLUTONIS  
SEQUITUR.

45 Tunc primum lacrimis victarum carmine fama est  
Eumenidum maduisse genas, nec regia coniunx  
sustinet oranti nec, qui regit ima, negare,

48 Eurydicenque vocant: umbras erat illa recentes  
inter et incessit passu de vulnere tardo.



SIN AUTEM  
AD CONIUGEM TUAM  
RESPICIES,  
ANTEQUAM  
ORCUM  
RELIQUERITIS,  
...

...EURYDICAE TUAE  
ITERUM HUC  
REVENIENDUM EST!

SIT  
ITA, UT,  
DICIS!

51 Hanc simul et legem Rhodopeius accipit Orpheus,  
ne flectat retro sua lumina, donec Avernas  
exierit valles; aut inrita dona futura.



POST LONGUM ET ARDUUM ITER:

SEQUERE ME! BREVI ACTUM ERIT!

SEMPER TE, VITA MEA, SEQUAR!

54 Carpitur adclivis per muta silentia trames, arduus, obscurus, caligine densus opaca,



PLURIMIS HORIS POST LUCEM SOLIS IAM VIDERE POSSUNT.



PAULO POST...

SPERO VIRES EAM NON DEFECTURAS!

nec procul afuerunt telluris margine summae: hic, ne deficeret, metuens avidusque videndi,



ORPHEUS AD UXOREM SE VERTERE INCIPIT...


PERVENIMUS,



... ET CAPITE CONVERSO DICIT:

UXOR AMATA...

57 flexit amans oculos, et protinus illa relapsa est. Bracchiaque intendens prendique et prendere certans nil nisi cedentes infelix adripit auras [...]



ATQUE -EHEU!- UT PLUTO DIXERAT, EURYDICE CORPUS AMISIT ET UMBRA ITERUM FACTA EST!

VAE MIHI! VAE NOBIS! TE COMPLECTI VOLO, SED NIHIL NISI AURAM COMPLECTOR!



ITERUM MORIOR! TAMEN NON QUEROR, QUIA AMATA SUM! VALE!



**EURYDICE! EURYDICE!!**

VALE! AMOTE!

62 supremumque „vale”, quod iam vix auribus ille acciperet, dixit revolutaque rursus eodem est.